

9+10/81

KALENDIS OCTOBRIBVS

MCMLXXXI



RVMOR VARIVS



RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE
LATINA TVRICENSI in ae-
dibus AKADis editur.

RVMOR VARIVS sexies in
singulos annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis:
(annuum)

In Helvetia	Fr. 12.--
In Germania	DM 16.--
In Austria	ÖS 120.--
In ceteris	
Europae terris	Fr. 18.--
In terris trans	
maria sitis	US\$ 12.--

Singula specimina qui
rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Dr. Emanuel Bernard
Dr. Jürg Bleiker
Ulricus Aeschlimann
Martinus Meier

Impressum et dispositionem
rerum legentibus publican-
darum curat:

Christina Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Turicum

Epistulae, mandata mittenda
sunt ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS
Postfach 883
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:

Schweizerischer Bankverein
Zürich Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

RVMOR VARIVS wird von der
SOCIETAS LATINA TVRICENSIS
unter dem Patronat der AKAD
herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis:
(jährlich)

Schweiz	Fr. 12.--
Deutschland	DM 16.--
Oesterreich	ÖS 120.--
Übriges Europa	Fr. 18.--
Uebersee	US\$ 12.--

Einzelne Probenummern können
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam:

Dr. Emanuel Bernard
Dr. Jürg Bleiker
Ulrich Aeschlimann
Martin Meier

Graphik und Layout:

Christine Portner

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS
Postfach 883
CH-8050 Zürich

Bankverbindung:

Schweizerischer Bankverein
Zürich Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

PRÆFATIO

De concilio nuper inter socios operis habito

Ulricus Aeschlimann omnibus legentibus s.d.p.

Hodie vobis nonnulla narrabo de mutationibus
praeteritis mensibus in collegio redactorum
Rumoris Varii factis.

Cuncti socii operis die XXII^o mensis Augusti
Turici convēnimus in aedibus AKADis, ubi li-
bellus noster editur. Concilia huius modi se-
mel vel bis in annum habemus de sorte, quae
Rumori Vario futura sit, colloquentes. Variarum
causarum nobis illo proximo concilio tractandarum
erant:

Primo nobis successor creandus erat in munere,
quō adhuc Patricius Hardmeier functus erat.
Is ab exeunte anno MCMLXXIX usque ad diem a.d.
III. Kalendas Iulias anni currentis Rumori
Vario impressum dispositionemque rerum publi-
candarum optime curaverat. Nunc nos - privatis
ex causis - oravit, ut sibi liceret se e col-
legio redactorum recipere.

Nostra Societas Latina Turicensis, omnes re-
dactores, cuncti socii operis Patricio maximas
gratias agere debemus. Neque enim tantum sem-
per multum temporis ad singulas editiones Ru-
moris Varii conficiendas adhibebat, verum et-
iam multum ad Rumorem Varium in vulgus effe-
rendum attulit variis modis conquirendo legen-
tes. Notissima est illa conquisitio televisoria,
de qua in paginis CCCXV, CCCXVI, CCCXVII
lēgistis (vide Rumores Varios 1+2/81). Idem
et prioribus temporibus, cum commentarii nos-

tri propter penuriam pecuniae saepius moriebantur, pecuniā mutuā datā ad resuscitandum Rumorem Varium attribuebat. Haud laudes eius in maius extollam, at certum est nostros commentarios adhuc vigēre, quod Patricius noster iis moderator felix adfuit. Dum concilium habemus, e munere recedenti simulacrum exemplaris primi Rumoris Varii anno MCMLXXVIII editi dono signoque gratiae nostrae praeuimus.

Speramus Patricium - cum non iam socius noster sit - saltem futuris temporibus interdum nobis aliquam ratam partem publicandam missurum esse (quis vestrum, cari legentes, seriem eius titulo "De Legibus XII Tabularum" inscriptam non meminerit?).

Sit ei Fortuna semper propitia!

Bene accidit, ut invenerimus Christinam Portner, amoenissimam specie puellam, quae affirmavit se in posterum munere antecessoris libenter functuram esse. Iam adhuc curavit functionaria in aedibus AKADis scripta rectorum gymnasium moderantium. Nunc illi muneri hoc novum adiungit, moderamen editionum Rumoris Varii. Ceterum Christina iam demonstravit se novo muneri parem esse: Namque iam editionem totius proximi libelli curaverat Kalendis Augustis editi.

Imaginem eius his lineis inserimus, ut oculis futuram moderatricem cognoscatis gaudentes. Gaudio maximo fuit nobis novum socium operis in collegio redactorum accipere, virum egregium Varnerium Fridericum Ebelium (Dr. Werner Fritz Ebel) M.DR. Idem medicus et scriptor, collegio redactorum iam praeteritis mensibus carmina variorum poetarum Germanicorum Latine versa miserat. Quae cognomine sibi dato "Amicus" subscribere solet. Berolini habitans



Haec tabula demonstrat Christinam Portner

concilio adesse non poterat. Litteris autem nos certiores fecerat sese libenter collaboraturum esse. Profecto, cari legentes, non modo carmina, sed etiam auctor summa laude in illo concilio receptus est consensū plausūque omnium quintum membrum.

Ne diutius de illo concilio narrem, hoc unum addam: Concilio habito iterum, ut soliti sumus, in tabernam vicinam convenimus, ut concilium Bacchi dono finiremus. Valete!

U. Aeschlimann
Ulricus Aeschlimann

Das bescheidene Wünschlein

Carl Spitteler

Damals, ganz zuerst am Anfang,
wenn ich hätte sagen sollen,
Was, im Fall ich wünschen dürfte,
ich mir würde wünschen wollen,
Wär' ich vor zu grossem Reichtum
in Verlegenheit geraten,
Schwankend zwischen Bilderbüchern,
Farbenschachtel, Bleisoldaten.
Später wurde mein Gelüste
kühner, deutlicher und kürzer:
Einen stolzen Namen wollt' ich,
sei's als Held und Weltumstürzer,
Sei's als ruhmbekränzter Freiherr
in dem Paradies der Künste,
Wo die Wunderbäume blühen
und der schönen Frauen Günstige.
Heute, wenn die müde Hoffnung
wieder sich zum Wunsch bequemte,
Wünscht' ich bloss ein kindisch Wünschlein,
dessen der Verstand sich schämte:
Möchte wissen, wie die Glocke,
die mich in den Schlaf gewöhnte,
Damals, ganz zuerst am Anfang,
möchte wissen, wie sie tönte.



Desideratiuncula modesta

Versio Latina: Emanuel Bernard

Primo tum initio vitae
cum dicendum mihi fuisset,
quid, si exoptare possem,
exoptare mihi vellem,
nimias divitias propter
plane dicere nequibam,
nutans inter libros pictos,
capsulas plenas colorum,
milites e plumbo factos.

Postea voluptas facta
est audacior mi breviorque:
nomen clarum pervolebam,
sive viri fortis, sive
mundi etiam reversoris,
sive domini gloriosi
inter Musas dominantis,
mira ubi floret arbor,
floret favor exoptatus
nitidarum virginum.

Hodie lassa si spes mea
iterum optare vellet,
nil haberem nisi votum
parvum, puerile, cuius
mentem meam vel puderet:
scire velim, ut campana
comitata obdormientem
me initio meae vitae,
scire velim, quali sono
auribus sonuerit.

S O L V T I O N E S

=====
prioris aenigmatis

De solutionibus nobis missis sortes coniecimus.
Ecce illi, qui primum, secundum, tertium prae-
mium accipient:

primum praemium:

Walter Baud
Löwenhaus
7208 Malans


secundum praemium:

Markus Reber
Bergstrasse 10
4500 Solothurn

tertium praemium:

Francesco Carotta
Wielandstrasse 47
D - 6000 Frankfurt/M 1

B	A	S	I	O
A	M	E	N	S
S	E	V	I	T
I	N	I	C	I
O	S	T	I	A



Aenigma

Nunc, cari legentes, vobis aenigma solvendum
proponimus, quo praemium accipere non potestis.
Sed quam ob rem ne irascamini! Nam in Rumore
Vario 11+12/81 iterum aenigma maximum invenietis,
quo praemia accipi poterunt!

Q V A D R A T V M M A G I C V M

1	2	3	4	5
2				
3				
4				
5				

- 1 vereor
- 2 piger
- 3 purus (Acc.Pl.f.)
- 4 oppidum in Sicilia
situm
- 5 mons in Thessalia
situs (Acc.)

Speramus vos solutiones facile inventuros esse.
Ne eas nobis mittatis! Rectas in Rumore Vario
11+12/81 demonstrabimus.

Hoc aenigma composuit

Ulricus Aeschlimann

Marratiuncula

Vagabundus olim vir ecclesiam quandam intravit animo volvens, quo modo sacerdotis horologium pretiosissimum raptaret. Denique sacerdoti appropinquavit peccata sua confessurus. Dum confitetur, manu celerissima sacerdotem horologio privat. At confessione finita "Heus!" exclamat, "oblitus sum peccati unius: Nuper aliquid raptavi." - Tum parochus postulanti, ut raptatam rem possessori recto reddat, respondet: "Accipe ergo!" - At sacerdos: "Hoc haud fieri potest: quod raptasti, reddas necesse est illi, cuius iure est!" - "Neque vero recipere vult ille." - "Quae cum ita sint, tibi esto, mi fili!"

Bernensia

Si Bernae a statione tractum ad Platiam Domūs Orborum (Waisenhausplatz) autoraeda pervenire vis, tibi I chiliometrum et DCC metra pervehenda sunt. Sin per pedes ambulaveris, via CCCL metrorum tantum tibi erit emetienda.

* * * * *

Notumne vobis, cur Bernenses lentissime loquantur? - Ut Turicenses eorum sententias mente concipere possint!

* * * * *

Haud raro evenit, ut incolas Bernae palam laetissime cantare vel sibilare (pfeifen) audias. Qui incolae plerumque Giovanni, Luigi, Carlo nominantur.

* * * * *

Pons Bernae veterrimus "Pons novus" vocatur.

* * * * *

Miro modo viis Bernensibus interdum nomina data sunt:

In via Postali (Postgasse) non invenies officinam postalem, in Via Valetudinarii (Spitalgasse) numquam valetudinarium videbis neque in Via Armamentarii (Zeughausgasse) armamentarium. Ac in Via Iustitiae magistratūs vectigalibus exigendis habitant...

* * * * *

Martinus Meier

EPISTULA AB AQUITANIA

Praeclare domine summeque honorabilis "Rumoris Varii"
sedule moderator,

Commentariolus quem diligentissime doctissimeque mode-
raris, Kalendis Iuniis editus, ad nos Palum pervenit.
Grati eum accepimus attenteque perlegimus. Omnia opti-
ma!

Nihilo minus pauca brevia, ne nimium usurpemur spatium,
etiam tibi dicere cupimus.

Ad Latinitatis cultum fructuosius provehendum studium-
que ingeniose pervulgandum ac augendum, alta voce mag-
nisque litteris cultoribus suadere oportet ut et epis-
tularum et taeniolarum magnetophonicarum assiduum gera-
tur commercium, praesertim cum aequalibus externarum
gentium ac nationum.

Huius generis enim commercium multum iuvat ad amicitias
condendas et ad extraneos modos percipiendos, quibus
variae sententiae exstruuntur et variae pronuntiationes
intelliguntur.

Exempli causa uxor mea restituta loquitur, ego
Romana; primis temporibus oportebat lente loqui
scandendis fere verbis; nunc perfecte rapideque
intelligimur etiam si citissime loquimur. Quia
si tibi notum non sit, nos coniuges assidue La-
tine loquimur de domesticis minimisque quoque
rebus. Uxor enim est Francogalla, ego Italus,
quique alterius sermonis ignarus. Ante matrimo-
nium foedus fecimus Latine assidue loquendi, ne
quis nostrorum paternorum sermonum praevaleret,
quae vera est democratia.

Si quis experiri vult tale commercium nobiscum,
taeniolam suam nobis mittat, nos nostram respon-
sivam mittemus.

Fac, illustris domine, optime ad multos valeas
annos.

Dabamus Pali, die XXIX^o mensis Iunii anno MCMLXXXI

Genovefa et Antoninus Imme

Genovefa et Antoninus Imme
Horti Arcadici
21 Boul. Sarrailh
64000 PAU (France)

DE SOCRATE PHILOSOPHO

Pauci vestrum Socratem ignorant et plurimis nomen saltem illius clarissimi philosophi notum est, qui quinto a.Chr.n. saeculo Athenis vixit. Quem ferunt Athenis circumnisse et obviam venientes sermonibus implicuisse et subtili arte quaerendi demonstrasse eos nihil scire. Haec exempli gratia afferam: Socrates cum imperatore quodam de virtute disputat. Sermone finito Socrates quidem nescit, quid sit virtus, sed etiam imperator, qui conatus erat definire, quid esset virtus, a Socrate docetur se pariter nescire.

De cursu vitae Socratis pauca memorentur: Natus Athenis patre Sophronisco¹⁾ marmorario et matre Phaenarete obstetrice²⁾ Socrates initio et ipse marmorarius erat, priusquam homines examinare coepit. Nota nobis etiam Xanthippe, uxor eius, quam ferunt exemplum mulieris cupidae rixarum fuisse. Sed anecdotibus, quae de rixis coniugalibus narrant, non nimium credendum est. Legentibus enim Platonis vel Xenophontis opera de Socrate apparet Xanthippem non malam fuisse coniugem. Ad eius defensionem concedendum est non facile fuisse in connubio vivere tali cum homine qualis Socrates erat, qui totus quaestionibus suis incumberebat. E Xanthippe tres filios habuit.

Ipse nullam litteram scriptam reliquit, et quod de vita et doctrina eius scimus, nobis a Platone, discipulo Socratis, ab Aristotele, Xenophonte nonnullisque aliis scriptoribus

traditum est. Clarissimi Platonis^{2a)} sunt dialogi, quorum in quattuor de causa^{2a)} et damnatione Socratis agitur inscriptis "Euthyphro", "Crito" (in quo Socrates explicat, cur fugere nolit, sed legibus oboediendum sibi sit), "Phaedo" (in quo Socrates de animae immortalitate disserit), "Apologia" (in qua ante iudices se defendit et de se ipso narrat). Socrates accusatus ab Atheniensibus anno CCCXCIX a.Chr.n., quod adulescentes corrumpere, deos patrios negaret novosque deos introduceret, morte sua immortalem gloriam adeptus est. Cum amici ei capite damnato persuaderent, ut fugeret e carcere, Socrates recusavit dicens id contra leges et contra doctrinam suam esse. Constanti et quieto animo die ultimo vitae cum amicis multa de animae immortalitate disseruit et postea cicutam³⁾ bibit.

Forsitan requiratis, quibus de causis Socrates accusatus et damnatus sit, quamvis numquam iniuriam commisisset. In dialogo "Apologia" inscripto (quid Latine "defensio" significat) Plato Socratem ipsum fingit narrantem ante iudices, quomodo malae fama et falsae accusationi inciderit (e Graeco verti):

"Vos omnes, o Athenienses, Chairephontem noveratis, amicum meum a pueris atque plurimorum vestrum quoque amicum neque ignoratis qualis homo fuerit ac quam vehementer omnes res, quae ei cordi essent, persecutus sit. Talem quoque se praebuit, cum Delphos venisset. Ibi enim Apollinis oraculum interrogare ausus est, num quis sapientior me esset. Oraculi responsi testis vobis frater Chairephontis erit, quia Chairephon ipse iam mortuus est.

Nunc, o Athenienses, ne me gloriari putaveritis neve clamaveritis, quidquid locuturus sum. Ea de causa id narrabo, quod vobis explicare velim, unde sententiae falsae de me ortae sint. Oraculum respondit neminem esse sapienterem me. Postquam id accepi, animo meo talia deliberabam: "Quid deus Apollo dicere voluit eo responso obscuro? Neque enim in magnis neque in parvis rebus praecipuae sapientiae mihi conscius sum. Quid ergo Apollo dicere vult affirmans me sapientissimum esse? Eum mentiri non puto, id ei nefas est." Cum obscura mihi dicta dei diu animo frustra consideraveram, tandem talem quaestionem - non libenter - coepi: Unum eorum virorum, qui sapientes habentur, adii ratus me haud aliter - si fieri id posset aliquo modo - vaticinationem refellere et postea oraculo dicere posse: "Is sapientior est me; tu autem me sapientissimum esse dixisti."

Illum hominem diligenter examinavi - nomen eius non edam, fuit unus ex nostris viris, qui rem publicam administrant⁴⁾. In quaerendo expertus sum illum a multis - et maxime a se ipso - sapienterem duci, sed re vera non esse. Itaque conatus sum ei explicare se putare sapienterem se ipsum, sed re vera non esse. Quare in eius et multorum aliorum, qui aderant, odium incurri. Abiens per me ipsum cogitavi: Si me cum isto comparo, me sapienterem esse cognovi. Verisimile est neutrum nostrum aliquid veri scire, sed ille aliquid scire sibi videtur, quamquam nihil scit. Equidem pariter nihil scio, sed contra ego non mihi videor aliquid scire. Eo parvo discrimine ergo sapientior sum illo, quod non opinor scire ea, quae reapse ignoro.

Inde ad alium ii, quem multo sapienterem ducunt quam illum. Sed ibi eadem expertus sum atque apud illum, quem antea exanimaveram, et eius et multorum aliorum odium in me converti.

Postea, cum homines examinare pergerem, magno cum dolore et terrore sensi quo plures homines examinabam, eo plures inimicos mihi fieri. Nihilominus mihi necesse videbatur, oraculum dei maximi facere. Propterea omnes mihi examinandi erant, qui aliud scire videbantur, ut viderem, quid oraculum dicere vellet. Et - mehercle, oportet enim vobis verum dicere - ea suscipiens talia fere mihi eveniebant: Ei, qui erant maxima auctoritate, cum eos examinarem, paene maxime inscienter videbantur; alii contra minus aestimati magis homines sani esse mihi videbantur.

Nunc vobis narrem, o Athenienses, quantam operam suscepi, ut certum haberem⁵⁾ de oraculo. A viris, qui rem publicam administrant, ad poetas ii, ut ibi ipso in facto quasi deprehenderer minus⁶⁾ sapienter illis. Ea opera eorum temptavi, quae mihi optime composita videbantur, eosque ea mihi explicare precatus sum simul me doctum iri sperans. Quamquam me pudet verum dicere, tamen reticendum non est: Plurimi vestrum, puto, melius de eis operibus dissererent quam poetae ipsi potuerunt. Brevi tempore sensi poetae opera sua non e sapientia componere, sed ex indole quadam et furore divino vatibus et oracula pronuntiantibus similes, qui item pulchra loquuntur, sed de eis, quae dicunt, nihil comprehendunt. Simile etiam poetis accidere mihi videbatur. Simul eos, quod carmina et versus bene componerent, etiam in aliis re-

bus sapientissimos se putare sensi. Quos cum relinquebam, mihi persuasum erat me aequae poetis praestare ac eis, qui rem publicam administrant.

Postremo ad fabros ii: Non ignorabam me ipsum nihil comprehendentem inter eos inventurum homines, qui multa pulchra conficere sciunt. Et non deceptus sum, quod fabri earum rerum, quarum ego ignarus eram, periti erant et quaedam, quae ad ea attinent, sapientiores me erant. Sed eis bonis fabris idem vitium inesse videbatur ac poetis: Omnes, quod suam artem peritus quisque exercebat, se etiam in aliis rebus, vel summis, sapientissimos esse putabant, quo errore illa sapientia obscurata erat.

Propter eas quaestiones, o Athenienses, multi inimicitias mecum habent, gravissimas et vehementissimas, ex quibus multae criminationes ortae sunt et pariter ista falsa fama me sapientem esse dicens. Semper enim audientes rati sunt me ipsum in eis rebus, quibus alios refello, sapientem esse. Profecto nemo nisi deus Apollo sapiens videtur et illo oraculo dicere vult sapientiam hominum parvi vel nullius pretii esse. Nomine Socratis quasi exemplo utitur dicens: "Ille sapientissimus est, o homines, qui ut Socrates cognovit sibi nullam sapientiam inesse."

Nunc quoque circumeo et deo obsequens examino quem sapientem iudico inter cives urbis et peregrinos, et si mihi non sapiens videtur, deum adiuvans ostendo illum sapientem non esse. Praeterea iuvenes, imprimis divitum civium nati, quibus maximum otii est, sua sponte me comitantur et libenter me homines examinantem

audiunt ultroque me imitantes vel ipsi alios examinare conantur. Multos invenire videntur, qui aliquid scire arbitrantes reapse paululum vel nihil sciunt. Qui ab eis examinati postea mihi et non sibi ipsis irascuntur affirmantque Socratem molestum hominem esse et iuvenes corrumpere. Si quis eos interrogat, quidnam Socrates faciat et doceat, nihil habent, quod afferre possint. Ne in angustiis esse deprehendantur, ea dicunt, quae semper contra philosophos dicuntur: Caelestibus et subterraneis studet; deos esse non credit; suis orationibus omnia depravat et melius argumentum peiore vinci sinit. Verum autem dicere non audent; se convictos esse aliquid scire videre, cum reapse nihil scirent. Quia, ut opinor, ambitiosi, strenui numerosique sunt et quod vehementer atque magna eloquentia loqui de me sciunt, iam dudum vobis aures criminationibus gravibus et pertinacibus impleverunt.

Itaque maxime mirarer, si mihi contingeret eas falsas de me vulgatas sententias tollere, quia tanta vi existunt.

Id, o Athenienses, verum est. Nihil vos celavi vel reticui. Tamen certo fere scio eo ipso me odium in me convertere. Id ipsum documento est me verum dicere, quod ex eo criminationes contra me ortae sunt.

Illud odium ferox me vertet, si evertar, non accusatores mei, sed falsa crimina et vulgi invidia, quae alios iam egregios viros evertunt et plures posteris aetatibus evertent. Non enim arbitror ea in me finire."

Si nostra aetate homo in oppido circumiret similesque quaestiones susciperet ac Socrates circiter MMCD annis ante, quid pateretur?

Nonne multi eum quoque irriderent, oppugnant, persequerentur vel etiam aggredierentur? Nonne hominibus nunc viventibus, quorum multi saepe negotiis quaestibusque incumbere malunt quam de vita sua cogitare et nihil nisi ea, quae ipsi cogitant, dicunt sciuntque, vera et bona esse arbitrantur - nonne talibus hominibus philosophus eos examinans similiter ac Socrates odiosus esset quam ille Atheniensibus? E rebus gestis omnium saeculorum apparere videtur homines res veras et incommodas dicentes ab aliis non diligi. Tamen aetati nostrae quoque talibus hominibus opus est, ne homines in vanitate sua suffocentur⁹⁾ vel arrogantia dirumpantur¹⁰⁾.

Si placet, in posteriore libello Rumoris Varii plus de Socrate vel aliis philosophis narrabo.

Daniel Weissmann

- 1) marmorarius: Bildhauer
- 2) obstetrix : Hebamme
- 2a) causa : hier: Prozess
- 3) cicuta : Schierlingstrank
- 4) viri, qui rem publicam administrant: Politiker
- 5) certum habere de: Gewissheit erhalten
- 6) temptare : hier: prüfen
- 7) criminatio : Verleumdung
- 8) caelestia : Dinge am Himmel (~Astronomie)
subterranea: Dinge unter der Erde (eis studere nefas esse quidam homines putabant)
- 9) suffocari : ersticken
- 10) arrogantia dirumpi: Vor Aufgeblasenheit (Hochmut) platzen.

Die Welt ist dumm, die Welt ist blind...

Worte: Johann Christian Harry Heinrich Heine (1797 - 1856)

Die Welt ist dumm, die Welt ist blind,
Wird täglich abgeschmackter!
Sie spricht von dir, mein schönes Kind,
Du hast keinen guten Charakter.

Die Welt ist dumm, die Welt ist blind,
Und dich wird sie immer verkennen;
Sie weiss nicht, wie süß deine Küsse sind,
Und wie sie beseligend brennen.

Gentes stultae, gentes caecae sunt ...

Textus Germanicus: Iohannes Christianus Arrius Henricus Heine

Versio Latina: A M I C U S

Gentes stultae, gentes caecae sunt,
Cottidie inficetiores,
Te, deliciae, afferunt
Non habere bonos mores.

Gentes stultae, gentes caecae sunt,
Semper false de Te iudicabunt;
Quam dulcia basia sint, nesciunt
Et quam fortunate ardescant.

Mingit

Metrum asclepiadeum

Gliscit pallida nix. Lactea tecta sunt.
Defuere avium, conspice, niduli.
Candent undique rura.
Torpescunt acies tuae.

Albicat xyphium, gramina dormiunt.
Ramis in laceris vulnera pax premit.
Tabida oscula nostra
passer devius illigat.

Oscitant cerasi brachia segniter;
stagnat vox upupae, silva obitu boat.
Exstinxit crepitantem
flammam canities rigens.

Quis sentit miseri cantica populi?
Linteata parens sopit humum. Virum
comminisceris, auctum
hortum munditia videns.

Florindo Di Monaco



SVBNOTO RVMOREM VARIVM
(ich abonniere RVMOR VARIVS

SVBNOTO RVMOREM VARIVM
DONO DATVM ALICVI
Factura subnotationis mit-
tenda est ad adressam infra
stantem.
(ich abonniere RVMOR VARIVS
mit Rechnung an:)

Datum und Unterschrift:



RVMOR VARIVS
Postfach 883

CH-8050 Zürich

für


AZ

8050 Zürich

9+10/81

KALENDIS OCTOBRIBVS

MCMLXXXI



RVMOR VARIVS

